

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Humilitas at  
cum fonte primo

Humilitas in paupere grata est, in diuite gloriosa;  
humilitas inter inimicos blanda, superbia uero inter amicos ingrata.

Blanda est et officiosa semper humilitas in amicitiis grata,  
in contumeliis ociosa.

Non extollitur prosperis, non mutatur aduersis,  
non extorquet seruicium,

non requirit uoces adulancium, nisi qui se laudacione nouit indignum.

Valerius episcopus in quodam sermone.

Humilitas in paupere grata est, in divite gloriosa;  
humilitas inter inimicos blanda, superbia vero etiam inter amicos ingrata.

Requiramus e contrario, dilectissimi, quae sint bona humilitatis.

Blanda est et officiosa semper humilitas, in amicitiis grata,  
in contumeliis otiosa:

non extollitur prosperis, non mutatur adversis;  
non indicit servitium, non extorquet;  
officio prior ad salutandum, tardior ad sedendum;  
non se adulantium grege exspectat deduci;  
non se ambitiose desiderat salutari; non laudis studia postulat,  
non favorem vocis exspectat: odit acclamantium choros,  
quia non sine verecundia laudatur bona conscientia.

Non requirit voces adulantium, nisi qui se laudatione novit indignum;  
verecundius autem semper laudatur amicorum studiis, qui meretur.

Valerianus Cemeliensis, *Homeliae*, 14.5-6 (PL 52, col.737C-D).